

D. O. M. A.

NOBILI SPONSORUM PARI

(Tit.)

Dn. GEORGIO WIL-
LENBERGERO

à VVillenberg, J. C.

Et

CHRISTINAE NEU-
GEBAUERÆ

VIRGINI LECTISSIMÆ

Propriid. Kalend. Februar.

A. M. DC. LXIII,

feliciter conjugatis


BREGAE

Conjugium auspiciatissm.

*Et utriusq; familia cognatis
larissm.*

apprec. AMICI.

1018413



Bregæ in officina Typographica

CHRISTOPHORI TSCHORNII.



Vos à me numeros, WILLENBERGERE , ju-
gales,

Poscis, eos offerrem ad tua vota lubens,
Et facerem, studio, quicquid faciat vel honori
Seu Neonymphe tuo, seu Neonympha tua.

Hoc soceri , patrisq; tui tot cognitus annis
Candor, & integritas hoc tua poscit idem.

Sed vereor ne à me dudum neglectus Apollo
Difficilis quoq; nunc ad mea vota fiet ;

Et mihi jam curis aliis per devia raptis
Diffugiat coeptos syllaba pesq; modos ;

Sic nihil acceptum nec vestris dignum hymenæis.
Nostra situ recinat squallida tota chelys.

Dicendum bona verba tamen , vel Apolline sacro,
Dicendum, æterno ast auspice cuncta DEO .

Phœbe, Venusq; vale ; tuq; ô lasciva Deorum.
Turba Poetarum nobilitata metris

Hisce facesse procul tædis, procul impia turba,
Propudium à tædis omne fac esse piis.

Castâ precor ; castæ coeant hic undiq; mentes ;
Sic castis aderit castus & ipse DEUS,

Et castis sese angelicæ junxisse careræ ,
Sponsorum thalamoq; agglomerasse volens.

O fiat fiat ! precor hoc, præsens sit JÖVA
Pronubus, & Patris Filius ipse DEI.

1018413



A 122

A nato, & Genitore, sacer qui spiritus exit,
In thalamum vestrum, vos comitatus eat,
Vos Comitatus eat sanctus grex ætheris alti
Atq; maritales excubet ante fores
Ut Laribus cedant vestris Asmodus, Abaddon
Lethifer, & vestro quæque inimica thoro :
Ut sit amor felix, & pectus utrumque pudicas
Concipiat divini ignis ab igne faces ;
Quo veluti Natus pariter cum Patre supremo
Et qui procedit flatus utroque calent ;
Numen idem, DEUS unus & una eademque voluntas,
Conspirans triplici nomine numen idem :
Sic eadem mentes accendat flamma duorum
Et sit amor vobis unus, & una caro ;
Una fides, unum velle & nolle, una voluptas,
Mens uni semper dedita & una DEO ,
Post ter tres menses ut sit, quod ad hæc duo & unum,
Juncta benè, & benè sic cuncta volente DEO
Trinuno, trinum procedat sidere fausto,
Quod referat Matrem quod referatve Patrem,
Et sic accrescat socero tunc nomen avitum,
Et Sponsæ matris, Sponsæ Tibique Patris;

L. Mq. benè omin.

JOHANNES NATICIUS.

WILLENBERGERI thalamo CHRISTINA locatur,
 Virgineas inter gloria rara nurus.
 CHRISTINÆ thalamum VILLENBERGERUS adintrat,
 Insignes inter gloria rara viros.
 Par bene compositum, par nobile nubilis ævi,
 Ille suâ dignus compare, & Illa suo!
 Annue, Christe, bonis cœptis, patris annue votis,
 Quæ nunc pro genero filioliq; facit:
 Da mens sana diu sit sano in corpore utriq;
 Gratia sit mensæ, gaudia sintq; thoro.
 Duret amor constans, & nullo tempore nutet,
 Mutua cura ambos, mutuus urat amor.
 Et tandem Optatæ curra: fausto ordine vite
 Ambobus perpes nocte dieq; tenor.
 Divitiis, famâ, fortunâ & prole venustâ,
 Semper ut ambobus rideat aucta domus;
 Tunc quoq; Corde faces flagrent in utroq; tenaces,
 Cum Sponsus canus, sponsaq; fiet anus;
 Ut sint exemplar nuptis quandoq; futuris,
 Quod natis Matres, quod voveantq; Patres.

GODOFREDUS LANGIUS
 à Langenau.